

Franckesche Stiftungen zu Halle

Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahlina Conscriptæ

Juncker, Johann

Halæ, MDCCLVII.

VD18 90812107

Tabula LXXX. De Extractione Rerum Peregrinarum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197684-

TABULA LXXX.

DE

EXTRACTIONE RERUM PE-
REGRINARUM.

I. DIFFERENTIA.

Sub *rerum peregrinarum* nomine comprehendimus

- I. Omnia illa extranea, quæ sub actu læsionis cum corpore communicantur, qualia sunt e. g.
 - 1) *Sagittæ*, de quibus extrahendis multa in antiquis auctoribus legimus.
 - 2) *Globuli plumbei*, de quibus recentiores præcipue mentionem faciunt.
 - 3) *Frustula vestimentorum*.
 - 4) *Extremitates gladiatorum, cultrorum &c.*
 - 5) *Festuca*.
2. Omnia illa *animalcula*, quæ cavitatibus sese insinuant, e. g. auribus, oculis, faucibus.
3. Omnes heterogeneitates, quæ a partibus *osseis* in corpore corrumpuntur & secedunt, e. g. caries, festucæ seu rami ossium, a fractura violenta dependentes.

II. PROGNOSIS.

1. Res peregrinæ facilius extrahuntur e partibus *mollibus*, quam *solidis*.
2. Quo nobilior est pars affecta, eo molestius heterogenea perfert. In partibus *nervosis* ingentes dolores & commotiones febriles ab illis excitantur.
3. Quo profundius impactæ sunt heterogeneitates, eo difficilius illarum extractio succedit.
4. *Globuli plumbei*, pro diversitate situs, per plures inrerum annos quieti sunt. Quando autem alia heterogenea, e. g. frusta vestimentorum, simul impressa sunt, extractio illorum prudenter consideranda est. Talia enim ægrius in corpore tolerantur. Globuli gravitate sua ad alia loca interdum descendunt, ubi facilius exciuntur.

§. Sa-

5. *Sagittarum & spiculorum* infixio hodie apud nos quidem non ita familiaris est, quando autem in bellis *Turcicis* talia imprimuntur, extractio illorum multam sæpe involvit difficultatem, præcipue quando sagittæ *hamulis* præditæ sunt, & profunde penetrarunt. Tales enim non possunt retrahi, unde excissio illarum requiritur.
6. Heterogenea, quæ cernuntur, tantam non habent in extractione difficultatem, quam quæ occulta sunt.

III. *METHODUS.*

- I. Exæresis rerum infixarum requirit
 - 1) Debitum *accessum* & rei extrahendæ immediatum contactum.
 - 2) *Congrua instrumenta*, quibus res extrahendæ recte & firmiter possint apprehendi.
2. Ratione primi scopi ante omnia *tumor*, si adsit, corrigatur, *dolor & inflammatio* mitigetur.
3. Quando autem vel ob moram, vel alias circumstantias, foramen iusto arctius factum est, illud per *sectionem* aut *turundam turgescentem*, *Quell-Weissel*, dilatandum est.
4. Quod ad *instrumenta* attinet, conformatio illorum in casibus solemnibus apud auctores chirurgicos delineata occurrit. *Conf. tabul. II. de instrumentis.* In casibus autem specialibus & minus consuetis, proprio ingenio & speciali physico-mechanica aptitudine parari debent.
5. *Globuli sclopetarii*, quando gravitate sua & longiore mora profundius deflexerunt, daß sie sich gesencket haben, consultius est, in parte opposita, si nihil obstat, sectionem & extractionem tentare, quam per vulnus ordinarium. Germani dicunt: *die Kugel ausschneiden.*
6. Quando autem commodè attingi potest globulus, *duplex*, ad illum extrahendum, in usu habent *instrumentum*, nempe:
 - 1) Vel *terebellum* acutum chalybeatum, germ. einen Kugel-Bohrer, quod globulo infigitur, ut trahendo educatur.
 - 2) Vel *forcipem* artificiosam, duobus *hemisphaeris*, utriusque intus cavis, instructam, qua globulus comprehensus extrahitur.
7. Majus incommodum extrahendi occurrit, quando globulus *ossa* simul contingit, a quorum contactu inæqualis reddi solet, daß sich die Kugel breit stößet. Imo consideratu dignum, quod globuli, in *carnosas* tantum partes immersi, pristinam rotunditatem amisisse compareant.

8. Non-

8. Nonnunquam globulus *offi* ita imprimitur, ut trepanatio illius *offis*, ad globulum extrahendum, requiratur.
8. Quando globulus non cernitur, quietus tamen jacet, sibi relinquatur, donec commodiorem situm ad sui extractionem ostendat. Inquietus autem *specillo* exploratur.
10. *Sagittæ* quando profundius penetrarunt, & *hamulo* præditæ sunt, in parte opposita scindendo extrahantur. *Simplices* autem, nullo unco instructæ, per illud vulnus, per quod ingressæ sunt, extrahuntur.

Reliqua videantur sub *Cautelis*.

IV. CAUTELE ET OBSERVATIONES.

1. Extractio, quo *maturius*, eo melius instituitur. Mora enim tumorem inflammatorium facile invitat.
2. In profundis læsionibus caveatur, ne loco rerum *heterogenciarum* res *domesticæ*, nempe vasa sanguifera, nervi, tendines, comprehendantur; qui error gravissima symptomata, imo ipsam mortem adferre potest. Unde forceps prius non aperienda, quam globulum vel aliud heterogeneum tetigerit.
3. Quando globulus excindendus est, caute fieri debet incisio, ne vasa, nervi vel tendines lædantur. Hæc impedimenta quando incisionem prohibent, expectandum, donec per suppurationem ulterius proveniat globulus.
4. Quando sectionem nova *hemorrhagia* excipit, illa cito non sistenda, sed paululum toleranda est.
5. Interdum *plures* heterogeneitates in uno vulnere latent, e. g. duo globuli, plures festucæ. Hinc Chirurgus visitationem accurate debet instituere, ne quid in vulnere relinquat.
6. Ad explorationem rerum heterogenciarum conducit etiam nonnunquam, ut æger eundem situm repetat, quo vulneratus fuit. Alias enim adeps & musculi aditum facile præcludunt.
7. Quando res heterogeneæ enormes dolores *spasticos* vel plane *convulsivos* producant, extractio matura quovis modo animo sedeat. Quod si vero graviora symptomata ab incisione metuenda essent, & ita duplicem afflictionem perferre deberet æger, melius foret expectare.
8. Globulus si in tali corporis cavitate lateret, ad quam securus aditus non conceditur, relinquendus & vulnus consolidandum esset.

Junck. Chir.

Zzz

Per

Per totam enim vitam sine multis incommodis globuli sæpe portantur.

9. Globulus, qui neque per forcipem, neque per terebram extrahi potest, tractabilior reddi solet, quando suppurationis tempus accedit.
10. Globulus, in articulo quodam hærens, cito extrahendus est, ne gangrænam, sphacelum, vel cariem inducat, & membri amputationem necessariam reddat.
11. Eveniunt interdum insperatæ difficultates in hoc negotio. Sice.g. *Stablius* de nobili quodam milite refert, quod vulnus ipsius, globulo in brachium inflicto, post multos dolores consolidatum fuerit, tempore exiguo cum inflammatione & magna exacerbatione recursum sumferit, post aliquot hebdomadas, relicto intus globulo, de novo consolidatum fuerit, elapso integro anno secunda vice cum duro tumore eruperit, donec tandem frustillum *pannicoccinei*, quo tempore vulnerationis indutus, per sectionem extractum & vulnus postea cito ac constanter consolidatum fuerit.
12. *Apices* quoque gladiatorum magnas sæpe gignunt difficultates, dum *turundis turgescitibus*, mit *Quell Meißeln* vulnus dilatandum est, e. g. medulla sambuci, frustulo spongiæ contortæ, oleo frixatæ. Hæc dum per 12. circiter horas vulnere imponuntur, molestus ordinarie affluxus & non pauca incommoda provocantur.
13. Hinc in omnibus casibus, in quibus loci conditio concedit, materia infixa per sectionem optime & certissime extrahitur, præcipue in bellis & præliis, in quibus circumstantiis mora periculum auget.
14. *Festucarum & ramorum ossium*, per violentam fracturam excusorum, duplex est status. Modo enim cum, modo sine vulnere partium superstratarum contingunt.
15. *Posteriore* casu coalescit denuo festuca, si modo ætas non admodum effæta, corpus non cacoehymicum & tumor non adeo insignis adsit. Subveniendum autem est mature per emplastrum repellens & discutiens, e. g. per *empl. adrupturas*, vel, quod lenius est, *ceratum santalinum*.
16. *Priori* autem casu non coalescunt festucæ & squamæ, quando a reliquo osse insigniter, nedum penitus, avulsæ sunt. Sanies enim, pus vel ichor, a mollioribus partibus, una læsis, proveniens, tanto præsentius & certius arrodit ipsam denudatam ossis texturam.

17. Ex

17. Expectanda itaque in tali casu successiva *abscessio* ejusmodi ossiculorum, partim a *periosseo* & instructis *carnosis* atque *tendinosi* partibus, partim ab ipso *reliquo osse*, si cum hoc quodammodo adhuc cohærent. Tædiosa autem & longinqua, imo ab omni periculo non aliena est talis expectatio.
18. Hinc integritati partium mollium succurrendum, & hac ratione corruptio ulterius cavenda est per lenia balsamica, non eximie sarcotica; ejusmodi sunt tum ipse *spiritus vini*, tum cum ipso parata *essentia succini*, quæ simul ossiculorum secessionem quodammodo promoveant.
19. Præsentissime vero perpetratur festucarum & squamarum talium separatio, imprimis quando cinerei vel terri coloris sunt, per *instrumentalem chirurgiam*, si vel maxime per sectionem aliqualem vulnus dilatandum sit. Hac enim ratione *dolore brevi*, & si cetera paria sint, non adeo immenso absolvitur negotium, quod alias ob diuturnitatem & molestorum symptomatum concursum longe disparem eventum tam dolorum quam periculi ægro minatur.
20. Ante omnia cavendum, ne partes superstratæ consolidentur, quam diu festuca seu squamula quantacunque exilis, & a sanie alterata, præsto est. Certissime enim nova ulcerosa eruptio in parte ita affecta inde expectanda est, quæ commode avertitur, & longinqua molimina doloris, inflammationis & arrosionis brevia redduntur per simplicem *incisionem*, satis amplam & profundam, nempe ad latentem usque festucam; quæ, quando apparet, quovis, quo fieri potest, modo separanda & extrahenda. Tunc demum consolidatio secure promovetur. De osse *carioso* extrahendo videatur tabula de *carie*.
21. In illo casu, quo *diutius* negotium protrahitur, respiciatur perpetuo *affluxus*, qui hujus generis sensibilibus & durabilibus læsionibus familiaris est, & illius discussio tam per *interna* avertentia & evacuantia, quam per *externa* discutientia & roborantia perpetretur.
22. Imo hæc affluxus discussio etiam post jam factam consolidationem non prorsus negligenda est, præcipue circa tempus anniversarium, quo læsio inflicta fuit; item circa insignes tempestatum mutationes. Hisce enim temporibus facile dolores, gravitas, impotentia movendi in parte olim affecta persentiscuntur, adeo ut decrepantibus cum ætate viribus notabilis debilitas in illa parte observanda veniat; cui

autem incommodo per discutientia, inprimis camphorata, efficaciter occurrere possumus.

23. Si forte palea, festuca, unguis, pulvisculus, musca, vel quæcunque res peregrina in *oculum* illapsa esset, portio *succini* tam diu fricetur, donec calefiat, deinde oculo applicetur, sic extrahit, quod in illo contentum est. Alii *oculum cancri* applicant, & hac ratione humorum affluxum abstersivum promovent. Alii aquam tepidam vel lac oculo infundunt; id quod præcipue conducit, quando humoris acris vel spiritus acidi guttulæ quædam in *oculum* illapsæ essent.

24. His non sufficientibus palpebra invertenda, & res peregrina conveniente instrumento, non lædente, extrahenda est. Postea oculus tractatur, uti in *ophthalmia*.

25. De heterogeneis ex *auribus* trahendis sequentia notamus:

1) Accidit interdum, ut infantes *lapillum*, *pisum*, *nucleum* &c. in aures intrudent, quo casu *belleborus* naribus admoveatur, vel, ad lubricandum meatum, *oleum* quoddam tepidum instilletur, & deinde cochleari subtili id, quod illapsum fuit, extrahatur.

2) *Cerumen* emollitur vel per *lac* aut *oleum* tepidum, vel per injectum *liquorem* convenientem, vel per admissum *vaporem* decocti alicujus. Facta emollitione, per cochleari subtile evacuatur. Hac ratione nonnullorum furditatem paucis quasi momentis sublatam novimus.

3) *Insecta* quando auribus sese insinuarunt, extrahuntur vel forcipe subtili aut cochleari, vel, si profundius immerla sint, decoctum amarum, aut *oleum amygdalarum*, *olivarum* &c. tepidum injicitur. Amara enim plurima, & *oleum* omnia talia insecta enecat, ut deinde facilius extrahi possint. Hac injectione decocti amari enecantur etiam vermes, qui in meatu auditorii ulceribus prognascuntur. Alii ad talia insecta extrahenda applicant *spongiam*, stylo ferreo alligatam, & resina terebinthinæ imbutam.

26. Peregrina, quæ in *faucibus* nonnumquam hærent, e. g. officula, acus, nuclei prunorum &c. multa incommoda, imo subinde pericula afferunt. Hinc maturius & quidem sequente modo succurrendum:

1) Deglutitur *frustulum panis*, vel *haustus cerevisiæ* sumitur. Hac enim ratione sæpius malum removeretur.

2) Sin